

Simili modo examinat alius manum scribentis rei cognoscens (si habere potest) ut adsint duo testes de recognitione litterarum.

393. *Debet subinde etiam fieri comparatio litterarum, et quomodo?* — Si causa et circumstantiæ requirunt, potest et debet etiam fieri comparatio litterarum: quæ tali modo fit. Una vel plures scripturæ, de quibus certo constat, esse scripturas manus rei exarantis, afferuntur, et comparantur cum scriptura illa, de qua est quæstio, ad videndum, an characteres sint similes vel non, et consequenter, an ab eadem vel diversa manu proveniant.

394. *Præstat ad eam assumere peritos in arte ex ordine.* — Et quamvis de jure ad hanc comparisonem debeant adhiberi periti in arte, id est magistri, qui alios scribere et litteras formare docent, ut bene advertit Ludovicus de Ameno, tamen apud regulares, qui ad juris apices non tenentur, sufficere videtur, si assumantur ex ordine aliqui in arte scribendi perfectiores, præsertim tales qui in sæculo apud tribunalia fuere, aut præceptores qui juvenes docuerunt scribere; qui etiam in arte censentur periti: tales ergo vocantur, et quod fit, inseritur actis, sequenti modo.

395. *Praxis deputandi pro comparatione perito in arte.*

« Postea pro majori veritatis certitudine vocati comparuere fr. Guido N. et fr. Magnus N., quorum prior per tres annos agebat scribam apud judicem NN. alter vero ut præceptor plures juvenes scribere docuit, ambo in arte scribendi satis perfecti, qui deposito juramento de fideliter exequendo officio in comparatione litterarum exercendo, et veritate dicenda, jussi sunt A. R. P. provinciali, ut scripturas, quas de manu Mævii esse certo jam constabat, eum interceptis litteris accurate, diligenter, et exacte considerent, atque examinent, suumque postea judicium manifestent, num ab una eademque, vel diversa manu sint exarata. Acta sunt, etc., ut supra. »

Accepta commissione ad faciendam comparisonem litterarum, deputati singula juxta artem scribendi exacte considerant, atque examinant, suumque judicium in scriptis præsentant, quod actis inseritur sequenti modo.

396. *Judicium peritorum de litteris, et oblatio illius.*

« Consequenter præfati duo fratres in arte scribendi periti, scripturas sibi consignatas, et sequens desuper judicium suum in scriptis præsentarunt: incipit, etc., et desint, etc., ponatur tenor judicii ab eis dati. Quod cum ad mandatum eisdem denuo prælegerem, confirmarunt. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego fr. Guido affirmo ut supra. Ego fr. Magnus confirmo ut supra. »

397. *Non semper requiritur, ut recognitio, et comparatio litterarum simul fiant sed plerumque sufficit una.* — Notandum hic, non semper esse necessarium, ut recognitio litterarum per testes, et comparatio per peritos simul fiat, se tantum si rationabilis sit suspicio, ne litteræ sint imitatæ; secus enim quævis harum sufficit semiplene, aut etiam plus quam semiplene ad probandum contra scribentem per dicta lib. II, tit. XXII, § 5.

DE CARCERATIONE REI CUSTODIÆ CAUSA.

398. *Reus quandocumque est suspectus de fuga, aut ne impediatur, subornet, etc., testes, custodiæ causa incarcerari potest, etiam ante initium processus.* — Jam alibi diximus, quod quandocumque reus est suspectus de fuga, aut ne terreat, impediatur, vel subornet testes, possit, imo debeat custodiæ causa carcerari etiam ante constitutionem ipsius, imo, ante initium processus ex habita sufficienti informatione extrajudiciali; si crimen est atrox. Potissimum autem id facere potest, et debet judex, quando ex processu informativo jam adsunt sufficientia ad constituendum, et examinandum reum de gravi delicto, si, ut dictum, reus est suspectus de fuga, subornandis testibus, prout etiam statuitur in practica nostra criminali tit. Reus, § 2, et ibi Ludovicus de Ameno.

399. *In ordine nostro requiritur ad hoc consilium peritorum in conventu, si haberi possunt.* — Juxta citatum locum in ordine nostro judex etiam existentibus præfatis causis, custodiæ causa nullum carcerare potest, nisi cum consilio peritorum in ordine, id est in conventu illo, ubi judex tunc temporis existit. Nec est necesse, ut sint definitores, uti loc. cit., num. 8, bene advertit Ludovicus de Ameno, addens, quod in casu, quo desunt in simili causa periti, et

periculum fugæ requirat, possit se solo carcerationem decernere judex.

400. *Antequam incarceretur, reo fit decretum, et exprimitur causa.* — Porro si judex cum, vel sine consilio peritorum, custodiæ causa carcerare vult reum, debet desuper facere decretum, et in illo exprimere causam, ob quam incarcerat reum, et ante omnia advertere, ne in rei captura sæcularibus scandalum ingeratur, nisi summum aliquod scelus, et publicum commisisset, quo scandalum sæcularium inferius esset, ut bene statuitur in nostra Practica criminali loc. cit. Decretum autem carcerandi statim ad, vel ante initium processus potest fieri, ut sequitur.

401. *Forma hujus decreti.*

« Cum fr. N. fuerit accusatus de gravi crimine N. trahente secum gravem pœnam, ita ut inspecta natura vel malitia rei aliunde cognita, merito suspicandum sit, ne fugiat, aut testes subornet, impediatur, vel terreat, ac insuper vi in formationis extrajudicialis satis appareat, ipsum revera fore condemnandum; hinc ne justitia fine suo frustretur, A. R. P. provincialis cum consilio patrum NN. quos magis peritos et habiles ad propositum in hoc conventu reputavit, decrevit, prout præfati decreto decernit, præfatum fr. N. carceri custodiæ causa tradere, data commissione patri N. Priori, vel Guardiano (si in nostro ordine est, addatur) ita tamen, ut nec chorda, nec caputium eidem auferatur. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego fr. N., ita consului. Ego fr. N., ita consului. Ego fr. N., ita consului. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

« Intimato per me hoc decreto patri N., priori, vel guardiano dixit ille se statim executionem commissionem; prout post spatium iterum coram me comparuit, et retulit, se executioni jam mandasse decretum. Acta sunt hæc, etc. — Ego fr. N., actuarius. »

Si post processum informativum incarcerare reum vult ante constitutionem ipsius, paulo aliter, et quidem tali modo fit initium decreti.

Consequenter cum A. R. P. provincialis considerandis, et attentatis depositionibus testium, ac indicis constet, crimen non tantum semiplene vel ultra jam esse probatum, sed etiam tam grave, ut pœnam gravem se-

cum trahat, adeoque inspecta natura, etc. Reliqua ut supra.

402. *Si reus a decreto carcerationis custodia causa factæ appellat, executio non impeditur.* — Si reus a decreto carcerationis appellat, non attendatur, sed executio fiat; quia talis appellatio effectum suspensivum non habet, sed tantum devolutivum.

DE CONSTITUTIONE REI.

403. *Examinatis testibus in processu informativo, seu offensivo, et habita saltem semiplena probatione delicti, fit decretum de constituendo reo. Et quomodo?* — Quando judex cognoscit, quod ex processu informativo, seu ex informatione summaria, seu offensiva (ita dicta, quia per visitationem corporis delicti, examen testium, et scripturarum, quæ in illa fiunt, informatur judex, et offenditur reus, contra quem præfata militant) delictum, in quo reus fuit accusatus, jam plene vel saltem semiplene existat probatum, procedit ad constituendum, et examinandum reum; nisi enim ex processu informativo constet, delictum esse saltem semiplene probatum, non potest constitui, et examinari reus, prout jam dictum, supra num. 361. Unde si judex ante semiplenam probationem delicti reum citaret, et constitueret, illicite et invalide ageret, ac saltem in nostra religione peccaret mortaliter, uti constat ex *Praxi crimin.*, tit. *Reus*, § 3, et ibi amplius notat Ameno. Pro quo fine facit decretum, ut sequitur:

« Cum ex actitatis hactenus ad minimum semiplena habeatur probatio, fr. Mævium saltem esse reum furti monilium, suspectarum litterarum, violentæ effractionis carceris, » etc. (et quando non de omnibus, sed tantum de uno, vel altero, aut aliquibus, in quibus accusabatur reus, adest semiplena probatio, dicatur esse reum saltem de NN. (exprimantur delicta) et de illis solis constituatur, et examinatur, sicque sufficientia adesse, ut reus constitui, et constitutus legitime examinari valeat, A. R. P. NN. Judex decrevit, dictum fr. N. reum constituere, et examinare, aliaque, prout de jure prosequi. Acta sunt hæc die, anno mense, loco. — Ego fr. N. judex etc. Ego, fr. N. actuarius.

404. *Dein assumuntur assessores (si nondum adsunt) qui intersint examini rei.* — Dein assu-

mit duos assessores par res graves, qui obligati ad secretum intersint examini rei, illudque semper subscribant; licet enim necessarii non sint præsertim in processu informativo, tamen, ut examini rei intersint, necesse videtur ob multas rationes, de quibus supra num. 346.

405. *Postea citatur et constituitur reus. Et quomodo?* — Assessoribus assumptis, et jam præsentibus citatur, et constituitur reus vel familiariter; vel juridice, eo modo, quo diximus supra num. 369, de citatione testium. Casu quo autem reus jam aufugit, citatur etiam absens, de quo vide Ludovicum de Ameno in Practica criminali formul. sect. 5, num. 10.

406. *Qualiter ante omnia monere, et adhortari debeat iudex reum constitutum?* — Si reus nondum fugit, sed citatus comparet, et constituitur coram iudice, debet ante omnia charitative reum admonere de statu suo, videlicet, quod modo ut legitime constitutus reus compareat, debet ipsum adhortari debite, et imponere illi iuramentum de dicenda veritate: Adhortatio præcipue fieri potest de obligatione sub mortali peccato duplici tam contra obedientiam, quam contra religionem (contra quam perjurando ageret) sincere in omnibus fatendi veritatem, et ad sensum iudicis sine æquivocatione, aut restrictione mentali respondendi: In eadem adhortatione præmonere poterit, quod nisi in cunctis sincere et veridice respondeat, brevi temporis spatio plurima sit commissurus perjurya (quorum gravitas etiam declaratur) indeque causam sibi duriores faciat; Deum sibi adversarium reddat; iudici liget manus ad clementiam exhibendam; e contra si sponte fatetur, signaque pœnitentiæ et emendationis edat, Deum et iudicem tanquam patrem pro se habiturus, pœnas diminuiturus, clementemque sententiam habiturus sit, etc. Præcipue autem debet ei intimare, quod delictum vel delicta, de quibus interrogabitur, sint taliter in actis probata, ut iudex ipsum legitime interrogare, et consequenter reus ad interrogationes sub obedientia, et sub culpa, ac pœna perjurii respondere teneatur.

407. *Si reus ante sui examen, et responsiones a se dandas, petit advocatum, vel copiam actorum, vel nomina accusatoris, aut testium, nullatenus exaudiri, sed urgeri debet ut prius respondeat?* — Quod si reus id credere nollet, sed se innocentem diceret, ac propterea pe-

teret copiam processus hactenus formati, vel libellum accusatorium, aut depositionem testium, aut nomina eorum, etc., nullo modo ei deferre potest, aut debet iudex, sed e contra urgere reum, ut prius ad cuncta proponenda respondeat; alias enim, si prius sciret reus, quæ contra ipsum proposita et deposita essent, item quæ, et qualiter probata existerent, facile præparare se posset ad respondendum, suasque ad responsiones indicia evacuare, et facere posset, ut processus effectu careret.

408. *Aliter res se habet in processu civili.* — Hinc quamvis in causa et processu civili libellus communicetur, statim ac reus citatur, et post liti contestationem etiam communicentur articuli, etc., idemque de rigore juris fieri debere in processu criminali, velint nonnulli, tamen consuetudine (quæ est optima legum interpretis) jam introductum habetur; ut antequam ad cuncta respondeat reus, nec libellus, nec depositiones testium, nec quid aliud ex actis communicetur, nec patronus seu advocatus assignetur: idque ob rationes num. præced. assignatas, ut cum aliis bene advertit Ludovicus de Ameno tit. XIX, § 4, num. 15.

Actuarius vero factam rei constitutionem, ejusque præstitum iuramentum, ac iudicis adhortationem præmissam, actis inserit sequenti modo.

« Anno, mense, die, in conventu, etc., in camera N., utpote loco pro tribunali erecto vocatus et canonice constitutus fuit coram A. R. P. provinciali, et reverendis patribus NN. assessoribus, et me actuario N. fr. Mævius N. reus in causa principali, qui declarato illi statu causæ suæ (videlicet, quod in actis habeantur ea, quæ requiruntur ad eum juridice constituendum et examinandum ut reum; præmissaque monitione, quod sub gravissimo peccato mortali, et æterna damnatione teneatur ad sensum, et mentem iudicis sine dolosa æquivocatione, aut restrictione mentali sincere ac simpliciter respondere, veritatemque fateri; accedente præsertim iuramento de dicenda veritate, quod tacte pectore præstitit) ad factas interrogationes respondit, ut sequitur. »

409. *Si reus est excommunicatus, prius absolvitur.* — Notandum hic, quod si reus ex delicto aliquo, de quo jam constat, esset excommunicatus, deberet, dum constituitur,

ante omnia absolvi ab excommunicatione, et absolutio facta inseri relationi hunc constitutionis, v. g. post verba illa: Reus in causa principali; ita fieret relatio: Et quia per legitimas probationes, prout in actis sufficienter constat, reum commisisse delictum ac propterea in excommunicationem incidisse ideo A. R. P. provincialis eum absolvit præcise ad effectum adstandi et se tuendi in iudicio et non aliter, ac cum reincidentia; cum ipse non possit probare se absolutum.

DE RECUSATIONE JUDICIS, ACTUARIUM, VEL ASSESSORIS.

410. *Si reus recusare vult iudicem, potest ita facere statim ac rescit, ipsum incipere processum informativum contra se: vel potest expectare donec citetur, et constituatur.* — Si reus recusare vult iudicem tanquam suspectum, prout ex justa causa potest, optime facit, si statim ac notitiam acquirit, iudicem jam incipere formare processum informativum contra se, libellum recusationis formaret, et iudici offerret, sic enim cito provenit, et a processu informativo impedit. Si vero expectare vult, donec citetur, vel non scit, quod contra se processus fiat, potest, et etiam debet recusationem necessario facere ante liti contestationem; nam post illam, et quando semel iudici parere et litigare incipit, præstando iuramentum vel respondendo iudici examinanti, in illum consentire censetur, et eum amplius recusare non potest, nisi justa causa de novo superveniat, aut prius existens ei incognita fuerit.

411. *Et quomodo?* — In casu itaque, quo citatus coram iudice comparet, et hic ei iuramentum de dicenda veritate imponit, nullo modo juret, sed (si recusare vult iudicem) debita cum reverentia, ac modestia dicat, v. g. A. R. paternitas mihi ignoscat, ego non juro, nec litem contestor; quia A. R. Paternitatem ut iudicem acceptare non possum, sed eandem ex justa causa tanquam suspectam recuso juxta libellum, quem hic humillime offero: si libellum nondum fecit vel secum non habet dicet: juxta libellum quem hodie adhuc offeram, dein faciat libellum recusationis, et illo die adhuc offerat.

412. *Reus debet in libello recusationis allegare causam coram iudice recusato, qui eam*

examinat, et si justam reperit, recusanti defert. — Ut autem recusatio legitime fiat, debet recusans allegare causam in libello recusationis coram iudice recusato, qui recusationis causam bene perpendat, et, si eam invenit legitimam ac justam, debet illam admittere, ac reum ad superiorem remittere, vel (si iudex ordinarius recusatus fuit) iudicem delegatum non suspectum, deputare. Inter causas legitimas recusandi iudicem sunt etiam, si iudex est consanguineus, vel affinis partis adversæ, denunciatoris v. g. vel accusatoris, vel si nimio affectu erga eam ducatur: vel si sit inimicus rei: vel habeat interesse in causa, etc. Incumbit tamen reo onus probandi causam: et quidquid fit, registratur in actis sequenti modo: Et quidem, si reus, antequam citatur, et constituitur, iudicem recusare vult ad hoc, ut neque in processu informativo pergere valeat, libellus tali modo formari potest.

413. *Forma et praxis recusandi iudicem.*

« Cum fama deferente pervenerit ad aures Fr. N. processum formari contra se ab A. R. P. provinciali, et ipse timeat, sibi eventurum aliquod gravamen, hinc ut præveniat, ad evitandum omne secuturum præjudicium comparet coram A. R. P. provinciali, et dicit (omni tamen qua par est, reverentia et respectu) quod persona ejusdem in hac causa sibi sit suspecta ex eo, quia (hic exprimitur causa suspicionis, et consequenter recusandi iudicem). Quapropter cum omnia jura concedant suspectum iudicem declinare, repetita reverentia et humilitate debita, ipsum ut iudicem contra se omni meliori juris forma ob præfatam causam recusat. Quod si nihilominus causæ huic se immiscere contra juris formam attentaverit ex nunc, et pro tunc dicit de nullitate actuum appellatque ad quem, et ad quos de jure, atque recursum petit ad superiorem: si vero primum postquam citatus fuit, iudicem recusat et libellum offerre vult, eum formet sequenti aut simili modo.

« Comparet coram A. R. P. provinciali fr. N. et dicit omni debita reverentia quod persona ejusdem, etc., ut supra. Acta sunt hæc die, etc. Ego fr. N. Ita recuso, appello, recurro. »

Potest etiam reus, si ex causa superiorem adire non vult, coram testibus ita recusare

judicem, et libellum ad ipsum mittere subscriptum a testibus.

414. *Forma acceptandi libellum recusatorium, et alium concedendi judicem.* — Porro actuarius recusationem et oblationem libelli actis inserit, sicut etiam resolutionem judicis desuper factam, v. g.

« Die, mense, anno, loco, coram A. R. P. N. provinciali comparuit fr. N. et recusare volens judicem præsentavit recusationis libellum adjacens signatum litter. D. incipit etc., et definit, etc., tenor autem ipsius est sequens: scribitur tenor libelli.

» Oblatum hunc libellum, postquam A. R. P. N. provincialis consideratis considerandis satis perpendit, admisit, si, et in quantum, etc., decrevitque, prout præsentis decreto decernit alium non suspectum judicem delegare, vel reum ad superiorem dirigere, vel (si judex est delegatus) A. R. P. provinciali referre, ut alium reo deputet judicem. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego fr. N. provincialis. Ego fr. N. actuarius. »

415. *Si causa recusandi judicem non est aperte justa, sed dubia: quid faciendum judici tam delegato, quam ordinario?* — Si causa recusandi judicem non est aperte justa, sed dubia, et judex est ordinarius, potest pro libitu suo recusantem vel dirigere ad superiorem, vel ei alium non suspectum judicem delegare, vel causam arbitris dijudicandam committere, ita ut judex aliquem, et reus aliquem denominet; vel etiam reus plures nominet, quibus liberum sit judici vel actori unum ex his a reo denominatis seligere.

Si autem judex est delegatus, debet existente dubia recusationis causa admittere, ut causa per arbitros præfato modo eligendos dijudicetur, nisi velit causam ad superiorem delegantem remittere.

416. *Dubia causa potest etiam arbitris dijudicanda committi: et quomodo?* — Porro sive judex sit delegatus, sive ordinarius, potest, et debet arbitris electis præfigere terminum ad pronuntiandum super validitate causæ, ita, ut si intra terminum præfixum non pronuntiaverint, in causa procedere valeat, nisi forsitan ad instantiam arbitratorum, aut rei terminum ulterius prolongaverit. Forma deputandi arbitros, et terminum eis præfigendi sequens est.

Post oblatum nempe recusationis libellum, causam non nisi dubiam continentem judex insinuat reo, quod vel in simul velint unum, aut plures arbitros assumere, vel ipse reus denominet aliquos, ex quibus judex, aut accusator dein aliquem assumere pro libitu possit; quo facto fit registratio per notarium modo sequenti.

417. *Forma et praxis hujus commissionis.*

« Oblato per reum, et sufficienter pensato per A. R. P. N. provincialem recusationis libello resolvit idem A. R. P. provincialis causam recusationis committere arbitris, prout juris. Hinc reo intimavit, quod vel in simul velint unum aut plures denominare, aut quisvis aliquem aut ipse reus solus denominet plures, relinquatque libertatem judici, aut accusatori assumendi ex his unum, vel plures, qui super validitate causæ cognoscerent, quo percepto reus gratias egit A. R. P. provinciali, et dixit, quod pro sua parte denominet P. N. vel denominet hos P. P. NN., etc. Acta sunt hæc, etc. — Ego fr. N. nominavi ut supra. Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius.

» Consequenter etiam A. R. P. provincialis nominavit in arbitrum ex parte sua P. N. sive ex nominatis a reo, in arbitrum communem deputavit P. N. vel P. P. NN. illumque, vel illos coram se vocari fecit, et electionem illorum in arbitros manifestavit. Et cum arbitrium acceptasset, assignavit illis terminum octo v. g. dierum ad pronuntiandum; processurus in causa, prout de jure; si intra illud tempus non pronuntiarent. Acta sunt hæc die, mense, etc. »

418. *Qualiter causam recusationis examinent, et super ea pronuntient arbitri?* — Postea arbiter, vel arbitri examinant causam, et testes a reo productos, aliasque probationes ut veri judices recipiunt, adhibito ad id etiam notario, pro actuario cuncta notante, prout de jure (de quo amplius videri potest Ludovicus de Ameno, in Formular. criminal. sect. II, num. 41). Causa sufficienter examinata ferunt sententiam in scriptis, citato prius recusante. Forma sententiæ esse potest sequens.

« In Nomine sanctissimæ Trinitatis, et Beatæ Virginis Mariæ. Amen. Jesu Christi salvatoris nomine invocato, nos ff. NN. arbitri juris electi, et respective a partibus

destinati ad judicandum in causa recusationis in judicio factæ a fr. N. reo prætenso, de persona A. R. P. provincialis, examinatis testibus, et probationibus hinc inde productis, et auditis partibus pro, ac contra informantibus, pleneque discussis causæ meritis, Deum solum omnis justitiæ fontem præ oculis habentes, Jesu Christi nomine repetito dicimus, nullatenus, nec plene, nec semiplene constare de causa recusationis assertæ, vel causam recusationis assertam esse frivolam, videlicet quod (exprimitur hic causa) proinde sententiamus, prædictam recusationem nullius esse valoris, et per eam nullo modo impediri jurisdictionem A. R. P. provincialis, quomizus contra fr. N. inceptam, vel incipiendam prosequi valeat. Ita pronuntiavimus nos qui supra, die, etc. — Ego fr. N. arbiter. Ego fr. N. arbiter. Ego fr. N. actuarius. »

Quod si causa recusationis arbitris videatur dubia, vel semiplene probata, debent pro reo pronuntiare; quia in dubio semper magis favendum est reo, v. g.

« In nomine etc. Christi nomine repetito, dicimus constare de causa quantum satis est; proinde sententiamus, eam tanquam legitimam subsistere, et propterea A. R. P. provincialem debere a prosecutione, vel inchoatione causæ contra recusantem desistere, ipsumque reum, vel ad superiorem remittere, vel illi cum ejusdem consensu suspectum judicem delegare. Ita pronuntiavimus, etc., ut supra. »

419. *Si causa recusationis est aperte falsa, aut frivola, eam ipse recusatus judex statim rejicere et in processu pergere potest: forma hujus.* — Si causa recusandi judicem est aperte falsa, vel frivola, ipse judex solus, etiam delegatus, illam statim rejicere, eaque non obstante in processu pergere potest. Decretum rejectionis notat actuarius, v. g. in causa fr. Mævii.

« Die, mense, anno, fr. Mævius præsentavit quidem libellum litt. D. qui incipit, etc., et delimit, etc., quo A. R. P. provinciam tanquam suspectam judicem recusat. Verum quia allegata suspicionis causa manifeste falsa, vel frivola est, memoratus libellus ab A. R. P. provinciali rejectus fuit. »

420. *Si reus post recusationem judicis etiam*

juste factam, ei adhuc sive protestatione judicialiter obedit respondet, etc., in eum de novo consentire videtur. — Notandum hic specialiter, quod, si reus potest judicis recusationem etiam ex justa causa factam, judici sine protestatione judicialiter adhuc obedit, respondet, jurat, comparet, etc., hoc ipso recusationem denuo deserere, et in judicem consentire censeatur, adeo, ut in posterum judex valide et licite in processu agat.

421. *Sicut judex, ita etiam actuarius, vel assessor recusari potest. Et quomodo? Remissive.* — Item notandum, quod sicut judex, ita etiam actuarius, assessor, diffinitor, etc., recusari potest ex causa in libello recusationis exprimenda: vide de hoc Ludovicum de Ameno, tit. canon. q. 5, a num. 116, et in Formul. criminal. sect. 1, num. 24 et 25.

DE EXAMINE REI.

422. *Regulæ in examinando reo observandæ a judice.* — Quando reus citatus comparet, et neminem recusat, vel si recusatio ejus fuit rejecta, incipit judex examinare reum modo statim allegando. Notandum autem prius, quod judex in examinando prudenter et caute procedere debeat: pro quo servient ei regulæ examinandi reum a doctoribus passim præscriptæ, ut a Ludovico de Ameno, loc. cit. a num. 17. Passerin. in Tribunali regular. q. 22, art. 1. Præcipue autem observare debet:

423. Primo, ut se accommodet conditioni, et qualitati rei.

424. Secundo, ne facile excandescat contra reum quantumvis criminosum, pertinacem, et mendacem; quamvis exigentibus circumstantiis etiam increpare, confundere, indeque illum ad veridice respondendum adigere valeat. Imo potest reum in sua præsentia delinquentem statim etiam punire, juxta dicenda infra n. 437.

425. Tertio, ut non statim de ipsa substantia delicti, sed a longe incedat incipiendo a generalibus ad particularia descendendo, interroget prius de indicis, de circumstantiis variis etiam talibus, ut reus non statim advertat, quo tendat judex, quia tali modo multa concedet reus, quæ sibi non nocere existimat, quibus postea concessit et combinatis, cum aliis cogitur fateri, quod alias nunquam fassus esset. Ad quem finem etiam non ordinarie et secundum seriem

eventus interrogare, sed interrogatoria perturbare, et miscere debet; quia si reus consecutive interrogatur, facile fingere potest mendacia sibi non repugnantia, vel facile non capitur in sermone. E contra si interrogatoria sine ordine confunduntur, reus mendax difficillime recordari poterit, quæ hinc inde deposuit, et inde illico variæ contradictiones, mendacia ac perjurya evenient, ex quibus reus confundi, et ad dicendam veritatem efficacius urgeri poterit.

426. Ad eundem finem poterit reus de eadem re, aut circumstantia per intervallum denuo et sæpius interrogari, ad videndam, an sibi sit constans; quod si intentionem iudicis advertens reus et timens, ne sibi contradicat, ad prius responsum se remittere velit, dicendo, « de hoc jam respondi, quod dixi, dixi » urgeri debet, et potest etiam per torturas, ut de novo per extensum respondeat.

427. Reo petenti spatium deliberandi, aut reelectionem prioris petitionis non debet deferri. — Si ad evadendas contradictiones, et pallianda forsitan mendacia petit spatium deliberandi, et se recolligendi, non debet ei concedi; quia in criminalibus non datur reo spatium ad deliberandum. Pariter gratificari eidem non debet, si petit, ut sibi prælegantur antecedentia responsa ab eodem facta; quia hoc esset ipsum instruere, ut contradictionem evadere, et consequenter mentiri posset. Secus est de teste, cui petenti depositio sua prælegitur, cum enim non de propria sed aliena causa respondeat, minus recordari, minusque suspectus de falsitate censetur. De quibus fusius Ludovicus de Ameno, tit. *Reus XIX*, § IV, a num. 23.

428. Quarto. Si reus incipiat delictum fateri, debet iudex uti occasione, et indefesse prosecui examen, quia reus pro tunc videtur dispositus ad confitendum; unde etiam habita, confessione delicti, debet omnes circumstantias loci, temporis, occasionis, causæ, finis, modi, complicum, etc. indagare.

429. Quinto. Suggestiva interrogatoria quoque vitare oportet, et ut suggestio cognosci valeat, debet quodvis interrogatorium ex integro clare et distincte registrari, consequenter illud vitari, quo in protocollo tantum ponitur: ad opportunam interrogationem, respondit, etc.

430. Reus ordinarie extra carceres examinari debet. — Sexto, si reus custodia causa est in carcere, ordinarie extra illum in loco

libero examinari debet, ita tamen, ut si es robustus, et fortis, ac perditæ vitæ, consequenter rationabiliter timeri posset rûga, aut alia insolentia ipsius, ligatus manibus ferreis duci possit ad locum examinis. Quod si commode, vel absque scandalo extra carcerem examinari nequit, etiam in illo examinari poterit.

431. Potest constitui et examinari toties quoties. — Tandem scire debet iudex, quod non tantum ter, sicut aliqui minus recte senserunt, sed toties quoties ei videbitur, constituere et examinare reum, sicut et testes possit.

Facta itaque constitutione, et adhortatione rei, præstitoque per eum juramento examinatur, ut sequitur.

432. Forma examinis rei quoad generalia.

Ad generalia. — « 1. Interrogatus. Quomodo vocetur? Resp. Vocor fr. Mævius. »

Notandum, quod etsi juxta dicta supra num. 368, responsiones testium, et rei debeant idiomate materno actis inseri, tamen ut omnes cujuscunque lectores eas intelligant ad evitandam repetitionem, hic latine tantum eas ponere intendamus.

« 2. Interrog. Cujus ætatis, et status existat? Resp. Ago quadragesimum annum, et sum indignum membrum hujus ordinis.

« 3. Interrog. In quo conventu de familia existat, et quandiu? Resp. Jam per duos annos in isto conventu moror.

« 4. Interrog. Quale officium ibidem habeat? Resp. Sum communis sacerdos.

« 5. Interrog. An sciat, vel imaginari sibi possit causam vocationis suæ? » Si respondit: Ita, vel: Bene mihi possum imaginari, urgeat ipsum edicere causam, et unde eam sciat, continuetque pro diversitate responsionum interrogatoria; si autem respondeat se nescire, ulterius pergat, et, si fuit incarceratus.

« 6. Interrog. A quo loco veniat? Resp. E carceribus.

« 7. Interrog. An sciat, aut imaginari sibi possit causam incarcerationis suæ? Si resp. affirmative, continuetur interrogatio de causa scientiæ, si minus, pergatur ulterius. »

433. An et quando poni debeat interrogatorium, utrum, et quales habeat inimicos. — Inter generalia interrogatoria poni volunt ali-

qui etiam illud. An et quales reus habeat inimicos? vel quid de his? (nominantur aliqui promiscue, inter quos etiam miscentur testes, vel accusator, vel denunciator judicialis) an sint viri honesti? et an nullus inter hos sit ejus inimicus? Et interrogatorium fieri ideo suadent? ut si reus ignarus, an, et quis ex istis sibi contrarius sit, illos, vel certos aliquos sibi inimicos non esse asserat, contra illos postea tanquam sui inimicos excipere non valeat.

Verum alii, et in specie Ludovicus de Ameno contra hujusmodi interrogatoria multum clamant, dicentes, illis adimi defensiones reo jure naturæ debitas.

Nos media via incedentes arbitramur, docendo, præfatum interrogatorium non ordinarie, sed subinde et tunc præcipue fieri posse, et debere; quando ex una parte jam satis constat de rei crimine, ex altera parte autem non latet malitia, et astutia rei omnibus etiam modis quærendis evadere, et consequenter etiam viros omni exceptione notorie majores suspectos, et inhabiles reddere ad testificandum, vel accusandum, præsertim ob falso prætendendam inimicitiam, bono communi interim exigente, ut ad exemplum aliorum, et tollenda scandala publice puniatur, quando autem circumstantiæ ita se habeant, iudicis arbitrio et consuetudine relinquatur.

434. Absolutis generalibus proponit iudex interrogatoria specialia; et quomodo? — Cæterum his et similibus generalibus expeditis ad specialia descendit iudex, et si libellus articulatus fuit oblatus, potest pro sua propria majore commoditate sibi facere et ante oculos habere separatam et privatam aliquam rubricam, super quo articulo, et quilibet interrogatoriis velit ipsum examinare; nam in ejus libertate est, prius super ultimo, aut secundo, vel primo articulo examen instituisse; pariter in ejus libertate est, num velit in examine super uno articulo aliqua admiscere pertinentia ad alium articulum; imo hoc expedit, ut, si reus mendax sit, facilius confundantur, et ad fatendam veritatem adigatur: vel potest rubricam ponere super aliquibus, aut omnibus articulis promiscue juxta dicenda infra.

Potest etiam iudex reum non tantum ter, ut alii minus recte putarunt, sed sæpius, et pro tunc ei visum fuerit, constituere et examinare in quovis constituto juxta arbitrium suum. Quamvis enim ordinarie in primo

constituto a remotis indiciis incipere, et ad proximiora successive in secundo et tertio constituto descendere expediat, tamen bene, et sæpe contingere potest, ut exigentibus circumstantiis, præsertim in examine emergentibus, statim in primo constituto de proximis indiciis, et super ipso delicto interrogari possit ac debeat; ut proin iudex non multum attendere debeat ad numerum constituti, seu an prima, secunda, vel alia vice sit constitutus, sed ut ita prudenter examinet reum, quatenus veritas, eruatur. Itaque.

435. Forma et praxis secundo constituendi, et examinandi reum. — Ad specialia super articulis promiscue, præsertim super secundo, quinto, et sexto.

« 1. Interrogatus: An noscat puellam Bibianam N.? Resp. Cognosco.

« 2. Interrog. Unde et qua occasione illam noscat? Resp. Visitavi illam una vel altera vice in domo.

« 3. Interrog. Quare ipsam visitavit? Resp. Pro discursu spirituali.

« 4. Interrog. An cum licentia superioris illam visitavit? Resp. Non, præsumpsi tamen, illum non fore contrarium.

« 5. Interrog. An nunquam ei scripserit litteras? Resp. Non.

« Monitus ab A. R. P. provinciali, ut bene se reflecteret, simulque memoriam revocaret gravissimam obligationem, quam tum ex obedientia, tum ex juramento habet, dicendi nudam veritatem: respondit: Non scripsi eidem.

« Postea A. R. P. provincialis accepit litteras indifferentes, quas ipse reus fr. Pio aliquando scripserat, et manu tegendo cuncta, tamen nomen ipsius subscriptum exhibuit eidem et interrogavit: An non sit hæc scriptura ejus? Ad quod reus nesciens an non forsitan esset aliqua intercepta epistola Bibianæ scripta: andacter respondit: Non est meus character.

« 6. Interrog. Quomodo non possit esse suus, cum sit simillimus? Resp. Fateor esse similem, tamen meus non est; sæpius fiunt imitationes litterarum.

« 7. Interrog. Quomodo dicere possit, non esse suum characterem, cum fateatur esse simillimum? Resp. Quidquid sit, non est meus character.

« 8. Interrog. An nunquam scripserit fr. Pio? Resp. Scripsi ei sæpius.